

CUM DEO!

1. Metaphysica, ut altissimè ordiar, agit tum de Ente, tum de Entis affectionibus: ut autem corporis naturalis affectiones non sunt corpora, ita Entis affectiones non sunt Entia. 2. Est autem Entis affectio (seu Modus,) alia absoluta quæ dicitur *Qualitas*, alia respectiva, eaq; vel rei ad partem suam, si habet, *Quantitas*; vel rei ad aliam rem *Relatio*, etsi accuratius loquendo, supponendo partem quasi à toto diversam etiam quantitas rei ad partem relatio est. 3. Manifestum igitur neque Qualitatem neque Quantitatem neque Relationem Entia esse: Earum verò tractationem in actu signat, ad Metaphysicam pertinere. 4. Porro omnis Relatio aut est *Unio* aut *Convenientia*. In unione autem Res inter quas hæc relatio est dicuntur *partes*, sumtæ cum unione, *Totum*. Hoc contingit quoties plura simul tanquam *Unum* supponimus. *Unum* autem esse intelligitur quicquid uno actu intellectus, s. simul, cogitamus, *v. g.* quemadmodum numerum aliquem quantumlibet magnum, sapè *Cæca* quadam *cogitatione* simul apprehendimus, cyphras nempe in charta legendo cui explicatè intuendo ne Mathusalæ quidem ætas sufficiat. 5. Abstractum autem ab uno est *Unitas*, ipsumq; totum abstractum ex unitatibus, seu totalitas dicitur *Numerus*. *Quantitas* igitur est Numerus partium. Hinc manifestum in reipsa Quantitatem & Numerum coincidere. Illam tamen interdum quasi extrinsecè, relatione seu Ratione ad aliud, in subsidium nempe, quamdiu numerus partium cognitus non est, exponi. 6. Et hæc origo est ingeniosæ Analyticæ Speciosæ, quam excoluit inprimis *Cartesius*, postea in præcepta collegere *Franc. Schottenius*, & *Erasmius Bartholinus*, hic *elementis Matheseos universalis*, ut vocat.